



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

Qvæstio I. Vtrum teneantur pastores ministrare sacramentum Baptismi  
tempore pestis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

## CAPVT SECVNDVM.

DE NECESSITATE ET MODO  
*ministrandi sacramentum Bapti-*  
*smi tempore pestis.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*Vtrum teneantur Pastores ministrare sacra-*  
*mentum Baptismi tempore*  
*pestis?*

Quæstionis explicatio.

**I**N primis admonemus, nos in hoc capite, sicut & sequentibus, eundem ordinem in quæstionibus proponēdis & resoluedis seruatu-ros, quem lecti sumus cap. præcedēti, vt illæ præcedant, quæ ministrū, deinde quæ recipientes, postremo quæ varios modos ministrandi hoc sacramentū respiciūt. Et primum, quod ad hanc quæstionē & alias quasdam attinet, quas in progressu mouebimus, etsi satis videri possent decisæ, per ea, quæ diximus primo capite: tamen quia particulares suas difficultates habent, quarum causa excusationes à ministracione huius & aliorum sacramentorū prætexi possent, non abs re erit, sigillatim eas examinare.

*Responsio.*

## Responsio.

Tenantur pastores tempore pestis ministrare sacramentum Baptismi peste infectis, vel de ea suspectis, siue paruulis siue adultis necdum baptizatis. Assertio est certa, quia illi tenentur ex officio & iustitiæ debito, procurare salutem ouium suarum, cum (vt dictum est) ad hoc à populo carnalia (a) metant, vt spiritualia ministrent: non habent autem aliud medium, quo salutem paruulorum recens natorum, siue adultorum, necdum baptizatorum, promoueant, nisi ministrando illis baptismum: Sic enim apud Ioannem Saluator noster: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Siquidem ex illis verbis omnes orthodoxi (b) Patres semper intellexerunt Baptismum esse omnibus necessarium ad salutem, vel in re, si sint paruuli, vel saltim in voto, si sint adulti: Vnde consequenter recte infertur à Doctoribus Scholasticis, sacramentum baptismi inter alia omnia esse maxime necessarium, non tantum, quia à Christo positum est in præcepto, sed etiam quia est medium ab eodem propositum, sine quo simpliciter paruuli non possint perungere ad finem beatitudinis æternæ.

Dices: Non solum (c) hæretici, sed & quidam Catholici (d), vt Gerson & Caietanus, docent ad salu-

a 1. Corin. 9.

b Tertul. de baptis. Insti. apol. 5. Chrys. hom. 25. in Ioan. Cyril. lib. 2. in Ioan. c. 41.

c Calvin. li. 4. instit. c. 16 sectio. 24. Et ante illum Pelag. vt refert S. Augustin. de hæresib. d. Cai. apud

*D. Thō. p. 3. q. 60. ar. 2. & ante illum Gerson tom. 3. sermon. de Natiu. Mariae, considerat. 3.*  
 ad salutē infantium in huiusmodi necessitate positorem, sufficere fidem & votum parentum, qui scilicet cum inuocatione SS. Trinitatis adhibito ipsis signo crucis, eos offerant Deo, non ergo necessum est, pastores tanto contagionis periculo exponi, ut huiusmodi infantes baptizent.

R. ( Ut modo omittantur hæretici ) suprafatos Doctores Catholicos grauiter errasse, meritòque ab omnibus aliis reprehensos, quod propria authoritate remedium aliquod salutis effingere ausi fuerint, pro paruulis, quādo illis deficit baptismus: Si quidem remedia ordinaria ad salutem necessaria docet Deus fideles suos, non particularis alicuius Doctoris, sed vel scripturæ vel ecclesiæ voce: Iam vero præter baptismum in re, & martyrium pro Christo nullum aliud ordinarium remedium paruulis superesse, docent S. Scriptura & Ecclesiæ.

Dices secundò: Si paruuli per fidem & votum parentum saluari non possent, maxime id esset contra illam sententiam Saluatoris: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Sed hac sententia non obstante, concedimus adultos saluari per baptismi votum, ( ut ante diximus ) ergo etiam concedi posset saltem in casu extremæ necessitatis paruulos saluari per fidem & votum parentum. Ita argumentat Caietan. R. Ma

R. Magnum esse discrimen: nam pro exceptione adultorum ab illa Christi regula, habemus certissimam auctoritatem, partim Scripturae; partim Ecclesiae: Pro exceptione autem paruulorum non item: nam ante Gersonem & Caietanum nullus S. Patrum mentionem fecit alterius remedii pro paruulis, quam horum duorum, Baptismi & Martyrii.

Dices tertio: Adulti solo voto & desiderio baptismi saluari possunt, non ergo bene dicitur, pastores teneri ministrare sacramentum baptismi adultis tempore pestis.

R. Negando consequentiam: quia sicut adulti tenentur petere baptismum, alioquin non valet illis baptismus fluminis, ita pastores tenentur illis ministrare. Et quamuis si pastor recuset, non propterea damnabuntur, sed voto & desiderio illius cum vera contritione baptizati censebuntur. Non ideo tamen excusabitur pastor a mortali, tum quia omittit officium ad quod tenetur, tum quod merito dubitare debet, an adulti veram contritionem habeant, cum illa multum sit difficilis, ut ante diximus, quae tamen ad baptismum fluminis secundum omnes requiritur.

K

QVÆ-